

Paul Tarnow Daniel Spalchaver

## **Decas Quaestionum illustrium Theologicarum De Ministerio Ecclesiastico**

Rostochii: Pedanus, 1617

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn737583096>

Druck Freier  Zugang



Kat. : J. Galcharovius

P. Tarnovius 16

R. U. theol. 1617.



DECAS  
Quæstionum illustrium Theologicarum  
DE  
MINISTERIO  
ECCLESIA-  
STICO:

SUB AUSPICIIS  
SS. & individux Trinitatis,  
*In celeberrima Academia Rostochiensi,*

PRÆSIDE  
REVERENDO ATq; CLARISSIMO VIRO,  
DN. PAULO TARNOVIO,  
SS. THEOL. DOCTORE ET PROFESS.  
primario, Præceptore ac fautore suo honore,  
ac amore perpetim colendo,

*Ad publicam disputationem proposita*

à  
M. DANIELE SPALCHAUERO,  
Rostochiensi.


*Ad diem 9. Novemb. in Auditorio majore.*

---

ROSTOCHII

Typis Joachimi Pedani, Acad. Typog. Anno 1617.





**S**I quis alius doctrinæ Christianæ Locus & Articulus, qui jam inde à D. Lutheri saltem tempore varijs corruptelis fuit obnoxius, certè & hunc de Ministerio Ecclesiastico ejus conditionis esse apparet. Considera duntaxat Anabaptistas, Schvvenckfeldianos, Enthusiastas, Pontificios, Calvinianos, Photinianos & alios, qui omnes & singuli si non integrum locum, veruntamen præcipuam aliquam ejus partem sibi impugnandam sumpserunt. Hinc tot tantaq; natæ sunt disputationes tam theoreticæ quam practicæ, scitu summopere necessaria, præsertim ultimis hisce temporibus, quibus ob multifarias Satanae technas & extremum Ministerij Ecclesiastici contemptum, omnia in pejus ruere, & Mundo ruinam atq; interitum præsentissimum minitari videntur. De illis igitur ut occasionem *Προσφωτος* studiosis diligentius inquirendi subministremus, decem sequentes Quæstiones illustriores, ordine arbitrario, *Βεβαίως* ad publicam disputationem, *σὺν Θεῷ*, proponemus.

## QVÆSTIO I.

Quis sit Autor, quantaq; dignitas Ministerij Ecclesiastici?



*V*t cæterarum Hierarchiarum, ita etiam Ministerij Ecclesiastici ipsum DEUM Autorem esse, non nisi *Παύλος* Psal. 1. v. 2. sive *ἐμψύχως* 2. Pet. 3. 3. fideles Ecclesia ministros distorto & impio ore *ἠεὶ καὶ ἄλλοι* in dubium vocant. DEUS enim non tantum dulcissimam gratiæ promissionem Protoplastis in Paradiso edidit, & ad eandem V. Testamenti Patribus populoq; Judaico repetendam, *Α 2* & unâ

Theſis  
1.

2.

Et una cum doctrina legis propagandam, Patriarchas, Sacerdotes & Prophetas misit: sed & in N. Testamento per ipsummet Filium suum nobis voluntatem patefecit: qui ipse etiam ventura memor misertusq; posteritatis divina autoritate à se institutum ministerium S. Apostolis eorumq; pijs successoribus demandavit, Matt. 10. 7. & 28. 19. Marc. 3. 14. & 16. 15. Luc. 6. 13. & 24. 47. Hinc singulis SS. Triados personis jus & negotium hujus rei S. assignant litteræ: Patri Matt. 9. 38. Filio, Joh. 20. 21. 1. Cor. 12. 28. Ephes. 4. 11. Spiritui S. Act. 13. 2. & 20. 28. Cum ergo Ministerium Ecclesiasticum individuum Trinitatem primum autorem habeat & agnoscat, exinde simul etiam ejus autoritatem ac dignitatem estimare licet. Quod non minus & illud pertinet, quod Apostoli, eorumq; fideles successores appellantur. Θεοῦ ἀποστόλοι 1. Cor. 3. 9. & servi Christi, qui pro Christo funguntur legatione 2. Cor. 5. 20. Quæ appellatio tantum abest, ut in contemptum ministrorum Ecclesia cedat, ut potius summo sit illis honori & laudi. Nobilis enim & gloriosa est servitus illa, quæ DEO ejuq; Christo ad hominum salutem promovendam inservitur. Quando autem Paulus 1. Cor. 7. 23. prohibet fieri servum hominum, non de servitute civili, aut quæ est ministerij Ecclesiastici propria (de quâ hic nobis sermo est) sed animorum loquitur, quando quis huic vel illi ita se accommodat vel addicit, ut propter favorem hominum ea negligat, quæ Christi sunt, & vicissim ea faciat, quæ Christo displicent: tales ab Apostolo Petro servi corruptionis appellantur, 2. Pet. 2. 19.

## QVÆSTIO II.

An necessaria sit legitima vocatio ad docendi Ministerium?

8. Principio certum est neminem esse legitimum verbi & Sacramen-

tramentorum ministrum, nec posse ministerio rectè & utiliter  
 ad DEi gloriam & Ecclesie adificationem fungi, nisi missus sit,  
 hoc est legitimam habeat vocationem. Nemo enim sibi metipsum  
 sumit honorem, sed qui vocatur à DEo, quemadmodum & Aa-  
 ron, Ebr. 5. 4. Ambire quidem seu operam suam Ecclesie offerre  
 medijs legitimis non est prohibitum: nam qui petit vel etiam  
 desiderat Episcopatum, bonum opus desiderat, 1. Tim. 3. 1. Sed  
 currere non licet, id quod fit quando quis seipsum ingerit, & va-  
 rjjs artibus hodie (proh dolor!) notissimis vocationem extor-  
 quet: de quibus Dominus ipse conqueritur apud Prophetam Jere-  
 miam, cap. 23. 21. Expectanda enim est legitima vocatio & mis-  
 sio, ad illud officium, cui opera nostra fuit oblata. Impudens  
 ergo est calumnia Pontificiorum nobis affingentium, quasi pro re-  
 levissima & arbitraria, imò nihili vocationem legitimam habere  
 soleamus. Longè diversum ac planè contrarium Nostratum te-  
 stantur scripta, cum quibus summè necessariam ministro Ecclesie  
 legitimam vocationem esse profiteamur. Idq; 1. propter DEum:  
 qui cum non sit autor confusionis, uti in dogmaticis orthodoxis,  
 ita in pragmaticis et hæc postulat & requirit, 1. Cor. 14. 33.  
 40. 2. Propter ipsos verbi ministros, ut certi sint, promissiones  
 de efficacia ministerij ad se quoq; pertinere, ac DEum proinde &  
 ipsis adfuturum, adeoq; sibi esse ingratum esse largitu-  
 rum. Quo fit ut majori cum animi alacritate & præparato  
 officium suum arduum suscinere & peragere possint. 3. Propter  
 Auditores: ut & ministros Ecclesie & eorum doctrinam in ma-  
 jore habeant autoritate & precio, deq; efficacia ministerij illorum  
 tantò minus dubitent, certi nimirum, illos non proprio ausu, do-  
 lis, largitionibus, votorum emendicationibus, alijsq; artibus de-  
 testandis (de quibus gravissimam aliquandò DEo sunt reddituri  
 rationem) sed singulari DEi consilio sibi missos & præfectos esse.  
 Atq; hac causa est, quod tum Propheta tum Apostoli passim in  
 concionum & scriptorum suorum exordijs vocationis sue autori-  
 tatem tantoperè urgeant & inculcent. Plura qui de necessitate  
 legiti-



*legitima vocationis scire avert, legat Lutheri scriptum in signe*  
*& grave von den Schleichern vnnnd Winckelpredigern / quod*  
*waq̄uēet gravi & severa in hunc concludit modum Gen. 5.*  
*Ien. f. 555. b. Darumb sey gewarnet vñ vermanet Geistlich Ampt:*  
*Sey gewarnet vnnnd vermanet Weltlich Ampt: Sey ges*  
*warnet alles was Christen vnd Unterthan seyn soll / das man sich*  
*für ihnen hüte vnd höre sie nicht / oder wer sie leidet vnnnd höret /*  
*der wisse / das er den leidigen Teuffel leibhafftig selbst höret / nicht*  
*16. anders / dann wie er auß einem besessen Menschen redet. Placet*  
*etiam huc apponere iudicium Theologi excellentiss. Vn. D. Chemni-*  
*tij ex Loco de Eccles. part. 3. Loc. mibi fol. 129. & seq. Quod*  
*ergo ad vocationem attinet, certum est ex verbo Dei, neminem*  
*in Ecclesia audiendum esse, qui non legitime sit vocatus, siue id*  
*factum sit immediatè siue mediatè. Et paulò post: Meritò igitur*  
*& reprehenduntur & reijciuntur Anabaptista, quos Luthe-*  
*rus vocat arge Schleicher, qui ingrediuntur domos & homines*  
*in fide turbant. Imò dicunt, si quis doctrinam Evangelij in-*  
*telligat, siue is sit sutor, siue sartor, siue faber, eum docere &*  
*concionari debere. Ibidem: Qualis est vocatio, talis est*  
*etiam successus. De Origene certè dicunt, eum sine vocatio-*  
*ne se ingessisse in officium docendi, & inde factum esse, quod in-*  
*17. tot errores sit prolapsus. Hec Chemnitius. Ex dictis conclu-*  
*dimus in Ecclesia publicè neminem debere docere, nisi legitime sit*  
*vocatus & missus, secundum admonitionem Paulinam, Rom.*  
*10. 15. Ac prouide ferendos non esse, sed tanquam fures & lu-*  
*18. pos vitandos & abigendos, quicunq; absq; vocatione sese inge-*  
*runt aut obrudunt Ecclesie. Quare probari non potest nec de-*  
*bet Platonica Anabaptistarum confusio, qui promiscuè quibus-*  
*19. vis sine ullo discrimine personarum in privatis & publicis con-*  
*uentibus copiam docendi faciunt. Quibus meritò accensemus*  
*Carolostadium, una cum quibusdam paucis, quorum nomina,*  
*Fröschelius expressit in prafat. super librum de Sacerdotio: qui*  
*(Ca-*

(Caroloſtad.) Witeberga diſputabat in abſentia Lutheri tunc temporis poſt Comitia Wormatienſia in Pathmo ſive eremo ſuo latitare coacti, in territorijs & catibus Chriſtianorum non ferendas eſſe literas ullas, non Scholas, non Academias; Patrem caeleſtem rudiffimis quibusq; plebeijs genuinum ſacrarum ſcripturarum ſenſum potius, quam doctiffimis, per ſingulares viſiones revelare. Quin etiam Tonſorum, Cerdonum, ſutorum, Sartorum tabernis ingreſſus obſecrabat Laicos, ut de his & alijs aphoriſmis ſacrarum literarum nativum intellectum ſibi exponere vellent, eorumq; exegeſes vehementer predicabat, ita ut his de cauſis maxima Studioſorum pars ad ſuos reverſa, manuaras artes, relictis ſtudijs omnibus, tractare inciperet. Iſtius farinae hominibus ſuo merito modernos quoq; annumeramus Photinianos, ceu veterum iſtorum Anabaptiſtarum & Caroloſtadianorum ſobolem, & in ſpecie quidem Chriſtophorum Oſtorodum, Goſlarienſem Saxonem, in Polonia degentem, qui in inſtitut. ſua Germanica cap. 42. §. 12. pag. 440. ſimiliter effutire baud erubeſcit: Vocationem non eſſe neceſſariam ijs, qui Evangelium hodie predicant, imò nihil referre, etiamſi Evangelium per omnia ipſe non intelligat. Verba ejus haec ſunt: Iſt derhalben nicht nöſtig / daß ſo jeziger zeit jemand das Evangelium Predigt / ja wen ers ſchon nicht durchouß verſtünde / (gleich wie auch Apollus von anfang) daß er geſandt ſey / viel weniger aber / daß er ſeine Sendung beweifen muſſe.

### QVÆSTIO III.

Nun DEUS ſemper uno eodemq; modo  
Eccleſiæ Doctores & Miniſtros vocat. ?

Doctores Eccleſia vocamus illos, qui publicè Religionem docendo propagant, & divina myſteria ad adificationem corporis Chriſti Ephes. 4. 12. diſpenſant. Sunt q; iſti vocati tum extraordinaria

24. *ordinariè & immediatè, tum ordinariè & mediatè. Extraor-  
dinarie & immediatè vocati Doctores sunt 1. sub V. Testamento,  
ut Prophete, nim. Moses Exo. 3. v. 4. 10. Esaias, Esa. 6. 8.  
Jeremias, Jer. 1. 5. Ezechiel, Ezech. 2. 1. & alij, qui à solo DEO  
absq̃ alterius ministerij interventu sunt vocati. 2. sub N. Testa-  
25. mento, ut Christus, secundum predictiones, Esa. 35. 5. Psal. 2. 7.  
& seqq. Psal. 110. 4. adimpletas Matt. 3. 17. & 11. 5. Ebr. 5. 5.  
Item Johannes Baptista, Luc. 3. 2. Joh. 1. 6. Septuaginta discipu-  
li, Matt. 10. 1. Luc. 10. 1. Evangelista & Apostoli Luc. 6. 13. Ephef.  
4. 11. Paulus, Act. 9. 6. Gal. 1. 1. qui à solo Christo absq̃ alterius  
26. ministerij interventu sunt vocati. Habuit verò hac vocatio po-  
tissimum locum vel in Ecclesia constituendâ, vel eadem repur-  
gandâ ab erroribus falsorum Doctorum. Neq̃ est, ut hodie quis  
tales Doctores, à DEO immediatè vocatos & missos expectare  
debeat. Cum enim jam versemur, per DEi gratiam, in benè con-  
stitutâ Ecclesiâ, in qua auditur vera doctrina, ordinem etiam  
servare debemus, ut omnia fiant secundum 1. Cor. 14. 40.  
27. Proinde repudiari debet mirifica illa, quam nonnulli fingunt ex-  
traordinaria vocatio, que ex DEi immediato intrinseco afflatu  
proficiscitur: & acquiescendum est in mediata & ordinariâ vo-  
catione, quam & Apostoli per Spiritum S. nobis prescripserunt &  
28. primitiva Ecclesia constanter retinuit & propugnavit. Ordina-  
riè autem & mediatè vocati dicuntur, quotquot per hominum  
aliorum judicium legitimè eliguntur & ministerium suscipiunt.  
Tali modo Timotheus & Titus à Paulo vocati rursus alios, qui  
29. & ipsi alios officio Ecclesiastico prefecerunt. Et hanc quoq̃ vo-  
cationem mediatam divinam esse patet ex Act. 20. 28. ubi Ephesinæ  
Ecclesie presbyteri hominum judicio electi ab ipso Spiritu S. in i-  
30. stitius officij Episcopalis dignitate constituti dicuntur. Quenam au-  
tem sint illa ordinaria media, quibus DEus ad vocationem me-  
diatam uti velit, prolixè ostendit D. Chemnit. suprâ d. Loco de  
Eccles. f. 133. & seqq. Ut vero breviter multa comprehendamus,  
neq̃*

neq; solum Ecclesiasticum ordinem, neq; solum Politicum, neq; so-  
 lam plebem, ordine Ecclesie plenè constituto; jus hoc sibi arrogare  
 debere, profiteamur: sed omnem eligendi & vocandi potestatem  
 esse penes totam Ecclesiam, in qua sunt Magistratus, Ecclesia mini-  
 stri & populus. Veruntamen cum hoc ordine convenientes, 31.  
 ut Magistratus seu Patronis arbitrium, Presbyterio iudicium, Po-  
 pulo suffragium relinquatur. *Κοινὴ τῶν ἑκκλησιαστικῶν, κειμένη ἐν τῷ πόλει  
 ἱερῶν:* Quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari. Quam  
 morem & Illusterrimorum Principum nostrorum Megapolensium  
 Agenda Ecclesiastica parte 2. p. 124. approbant & servandum  
 precipiunt. Ubi tamen hanc probe attendendam esse monemus 32.  
 distinctionem: aliud nim. esse jus, aliud juris executionem. Jus  
 eligendi est totius Ecclesie, omniumq; illius ordinum: Executio  
 vero seu exequendi modus in Ecclesia arbitrio unicè consistit, ut  
 siue omnes illius ordines, siue unus, aut etiam unica persona Ec-  
 clesia decretum promulget atq; electum vocet, nihil ominò refe-  
 rat, totumq; hoc cujuslibet Ecclesie beneplacito ac voluntaria di-  
 spositioni relinquatur. Atq; hæc potissimum adducimus propter 33.  
 Pontificios avardias, siue impudenter contendentes, omnem pote-  
 statem eligendi & mittendi ministros Ecclesie residere penes so-  
 lum ordinem Ecclesiasticum, siue ut Bellarm. lib. 1. c. 3. de Cler.  
 contendit, pertinere ad solos Episcopos, & potissimum (ut adjicit  
 cap. seq.) ad summum Pontificem: ceteros ordines, Politicum &  
 Oeconomicum siue plebis nihil quicquam hoc in negotio potestatis  
 habere. Licet autem legantur Paulus & Barnabas per singulas 34.  
 Ecclesias Act. 14. 23. & Timotheus, 2. Tim. 2. 2. & Titus etiam  
 hujus rei gratia in Creta relictus, Tit. 1. 5. oppidatim Pastores &  
 Doctores Ecclesie constituisse: attamen ex eorundem praxi, quã in  
 vocatione Matthia, Act. 1. 15. 21. & 26. (puta tamen, quoad ip-  
 sam vocationem, non v. quoad vocationis declarationem, quam  
 purè immediatam fuisse docet v. 24. & 26.) usi fuerunt, dum rem  
 cum toto fidelium cœtu communicarunt: ut & similiter fecerunt,

B

Act. 6.

Act. 6. 3. & 5. Act. 14. 23. & 15. 22. videre est, hoc uniuersa Ecclesia esse, qua ante dictos ordines conjungit. Non enim sibi solus & auctoritatem electionis & uocationis sumpserunt, sed Lucas Act. 14. 23. utitur uocabulo *καταβοήματα*, quod 2. Cor. 8. 19. de electione, qua sit uoce seu suffragijs Ecclesia, usurpatur. Sumptū enim est à Græca consuetudine, quā suffragia porrectis manibus ferebantur, & significat suffragijs aliquem creare, designare aut consensum ostendere. Cui placet, plura in hanc sententiam uideat apud Chemnit. in Exam. Concil. Trident. part. 2. nihil fol. 229. de Sacram. ordinis.

### QVÆSTIO IV.

Utrum D. Lutheri Vocatio fuerit legitima, mediata uel immediata?

36. Distinctè hic respondendum est, Lutheri uocationem partim ordinariā fuisse, partim extraordinariā, diuerso respectu. Ad ordinariā ejus uocationē referimus primò illā, qua facta est, dū adhuc in Papatu uiveret. Constat n. Lutherum fuisse uocatum & electū in presbyterum ab ipsis Pontificijs Anno 1507. Cum itaq; nec Pontificij uocationem istam, ut illegitimam reijciant, nihil obflare uideo, quò minus utriusq; concessum asseueremus, Lutherum usitato, consueto, adeoq; legitimo modo ad ministerium Ecclesiasticum fuisse uocatum. Dein ad ordinariam Lutheri uocationem referimus illam, qua facta est ab Illustris. Saxonie Electore Friderico III. Anno Christi, 1508. ut unā cum reliquis uiris theologica scientia imbutis in Academia Wuebergensi, curā & sumptibus ejusdem Electoris laudatissimi Anno 1502. fundata, laboraret, id quod etiam summo studio, animiq; robore infracto prestitit. Extraordinaria autem est, tum quoad diuinum ac peculiarem Spiritus s. instinctum, qui Lutherum ad opus repurgationis aggrediendum impulit: tum quoad dona isti negotio summopore necessaria. Reuelatio enim Antichristi & detectio tenebrarum ejus sicuti non

est commune opus, sed quiddam extraordinarium, sic quoque vocatio  
ad hoc munus fuit in Luthero extraordinaria. Nihil vero obstat, 40.  
quod Romanenses subinde contra extraordinariam vocationem,  
objiciunt, Lutherum, vel ipsis Lutheranis fatentibus, in doctrina  
sua ab erroribus non plane fuisse immunem, quod tamen vocatio  
extraordinaria unice requirat. Nam apostoli certe immediate à  
Christo erant vocati, neque tamen ab omnibus erroribus erant im-  
munes. Errabant enim de regno Christi, quod terrenum ac cor-  
porale sibi imaginabantur. Errabant circa veritatem resurre-  
ctionis Dominice, quam ab Angelis etiam & mulieribus predica-  
tam habebant pro fabula: errabant de conversatione cum gentili-  
bus, deque horum congregatione ad Ecclesiam. Haud proinde infal-  
libilis nota extraordinaria vocationis est perfecta absolutaque illa  
ab erroribus immunitas. Sic quoad Lutherum minime profecto 41.  
difficemur, ipsum in primordio certaminis multis adhuc fuisse er-  
roribus involutum, quos ex doctrina Pontificia hauerat: sed & il-  
lud constanter asserimus, Sanctum Dei Spiritum ita mirabiliter  
& efficaciter D. Lutheri mentem rexisse, illuminasse & tandem  
confirmasse, ut ex omnibus illis erroribus in clarissimam veritatis  
lucem emergerit, doctrinamque caelestem ab omni errore castigatam  
ac repurgatam proposuerit. Pari ratione nec illud moramur, 42.  
quod Lutheri vocatio nullis prodigijs & miraculis claruerit. Nam  
& Prophetas plerosque extraordinarie fuisse vocatos extra omnem  
dubitationis aleam positum est; Sed vocationem ipsorum, paucis  
exceptis, miraculis fuisse confirmatam, nusquam invenimus, sicuti  
pluribus demonstrabitur infra, quest. 9. Quid? quod Lutheri vo-  
catio extraordinaria omnibus prorsus signis ac miraculis nequa-  
quam caruit. Miraculosum enim est, quod imbellis & incrimis  
homo vel solo calamo sedem Romanam ita concussit, labefecitavit  
& evertit, ut nec in hodiernum usque diem pristinas vires resume-  
re possit; quod ipsum Bizo hisce versiculis elegantissimis depin-  
xit:

B 2

Roma

Roma orbem domuit; Romam sibi Papa subegit;  
 Viribus illa satis, fraudibus iste suis.  
 At isto major Lutherus, major & illa,  
 Istam illamq; uno qui domuit calamo.  
 Inunc Alciden memorato Græciâ mendax:  
 Lutheri ad calamum ferrea clava nihil.

QVÆSTIO V.

Quid de Ordinationis manuumq; imposi-  
 tionis ritu sit statuendum?

43. Ordinationis ritus Orthodoxis Ecclesijs receptus est publicum  
 testimonium, quo certa quadam persona & legitimè vocata & ad-  
 docendum Evangelium Sacramentaq; administranda idonea esse  
 44. in conspectu DEi & Ecclesiæ declaratur. *Χειροτομία* sive manuum  
 impositio, quæ huic ritui adhiberi solet, simpliciter quidem & ab-  
 solutè non necessaria, sed libera & indifferens est, qua uti vel non  
 uti licet, cum in scripturis nec mandatū ejus, nec promissionem ha-  
 beamus, quod per hoc medium DEus gratiam suam impertiri ve-  
 45. lit. Utiliter tamen nec temerè etiamnum usurpatur, 1. ad exem-  
 plum Apostolorum & primitivæ Ecclesiæ. Act. 6. 6. & 13. 3. (Ubi  
 46. tamen obiter observetur D. Paulum, cum jam Oecumenicus orbis  
 Episcopus, sive Apostolus esset, in conventu illo Antiocheno, de quo d.  
 cap. 13. 3. Act. non demum ad *ἁγιωσύνην* fuisse ordinatum, quod  
 Bellarm. innuit lib. 1. de Pontif. Rom. c. 23. sed opus peregrinationis  
 suæ ad Ecclesiæ sibi deputatas manuum impositione fuisse dimis-  
 sum. Nam Paulus ante hoc factum Gentibus predicabat & cum  
 Græcis disputabat, Act. 9. 29. eorumq; annum in Antiochena Ec-  
 clesiæ commorabatur cum Barnaba, docens turbam Act. 11. 26.  
 Quà verò ratione Paulus cum Barnaba sibi ministerium rapuis-  
 set, si eidem ministeria modo conveniente ac debito jam tum i-  
 nitiatus non fuisset? Rectius ergo statuimus illam *Χειροτομία* *ἁγιωσύνην*  
 fuisse amicam & civilem benedictionem, qua ministri Ecclesiæ, quæ  
 erat

erant Antiochia, peregrè abiturientem dimiserunt.) Sed ad propo- 47.  
situm revertor. 2. Quia sua quadam in Verbo DEi fundamenta  
habet, ut Gen. 48. 14. Num. 27. 18. Deut. 34. 9. Marc. 10. 16. &  
passim alibi, videre est. 3. Quia hoc signo monetur vocatus, ut o- 48.  
lim victimæ per manus impositionem ad solius DEi ministerium  
devotæ fuerunt, Num. 1. 4. sic se quoq; ad ministerium DEo quasi  
mancipari totumq; dicari. In quo dum occupatur, crux & afflictio  
nunquam sit defutura, sicuti victimæ mactatio & combustio certò  
erat subeunda. Interim de amore, gubernatione & protectione di-  
vina, quæ impositio manuum graciosè super caput adumbrat, ni-  
hil addubitet: sicut è contrario manus DEi gravem, si in officio  
negligens fuerit, experiundâ sibi cogitet. 4. Ut publicis Ecclesie pre- 49.  
cibus totû ipsius ministerium commendetur. Quod & Apostolos fe-  
cisse constat, Act. 13. 3. Quorum tamen preces ut essent ardentio-  
res, jejunium iisdem fuit adjunctû, ut locus adductus demonstrat.  
5. Deniq; hoc ipso ritu admonentur sese aptos aliunde reddi, ni- 50.  
hil ex se posse, sed sufficientiam præstari ab eo, cujus nomine manus  
imponitur. Nemo enim sibi met ipsi imponit manus, hoc est, huic  
muneri consecrat. Hinc blasphemie peccati damnato testes debue- 51.  
runt prius imponere manus in argumentum, quod nisi convictus  
esset, nunquam peccatum hoc fassurus erat: ita contra consecratis  
ministerio imponitur manus, in testimonium, quod nisi divina di-  
spensatione protracti fuissent, nunquam hoc munus fuissent admi-  
suri. Hinc D. Chrysostomus, Basilus & alij tanta difficultate ad 52.  
ministerium accedere. Arctius in problem. Theol. Loc. 65. f. 218.  
Efficaciam vero Ordinationis non ipsis per se Ceremonijs manu-  
umve impositioni, sed additæ benedictioni seu precatiori tribui-  
mus, quæ & mandato nititur, Matt. 9. 38. & promissione, Matt.  
18. 19. Jac. 5. 16. Valeant itaq; Pontificiorum superstitiones, quibus 53.  
hunc Ordinationis ritum per se bonû polluere solent, ijsq; Spiritus  
S. gratiam sic alligatam fingunt, ut si chrismate sacerdotum suorû  
manus inungantur, eo ipso jam idonei readantur ad conficiendam



Eucharistiam, & Sacrificium, ut loquuntur, incrementum, pro peccatis vivorum & mortuorum offerendum. Quin & suffraganei accedente insufflatione, character indelebilis in ipsorum anima imprimatur, ut deinceps homines salvandi potestatem habeant. Hac non tantum preter sed & contra DEI verbum dicuntur.

54. Quasi vero potestatem nullam, nisi hoc modo uncti qui fuerint, eandemq; soli sacerdotes in sese propter unctionem haberent. Mirum quod nihil tale ab Apostolis in electione D. Matthei, Act. 1. aut ab Anania in benedictione Pauli Act. 9. ligatur esse factitatum.

## QVÆSTIO VI.

Num ordo inter Ecclesiæ ministros sit observandus?

55. Etsi Ministrorum Ecclesia per se est aequalitas: tamen ut diversitas est vocationis, donorum & laborum, ita ordinis causa unus alij preire potest, ut quidam graduum in ministerio sit differentia.
56. Nam & DEUS ipse ordinem inter eos fecit donorum varietate & differentia, ut alij sint Apostoli, alij Prophete, Evangelista, Doctores & Pastores, ut recenset Apostolus 1. Cor. 12. 28. Eph. 4. 11. sic Paulus Timotheo preferabatur vocatione, donis & laboribus.
57. Et opus est inter Ecclesia ministros ordinem servari, ut ἐπισημασμέναι ἡμῶν πάντα τὰ ἔργα omnia fiant, 1. Cor. 14. v. ult. DEUS enim si uspiam alibi, certe circa verbi ministerium decentem sanctum & observatum voluit ordinem, ut doctrinâ pariter & exemplo affecti auditores ex sua quisq; parte ordinis tantò redderetur observantior. Neq; verò ordinis istius rationem ita commendamus, quasi per omnia probemus ineptias Papistarum de septem illis ordinibus Ecclesiasticis, quos vocant, Sacerdotem sive Presbyterum, Diaconum, Subdiaconum, Acoluthum sive Ceroferarium, Lectorem, Exorcistam & Ostiarium. Quos ordines adeò necessarios esse opinantur, ut, ubicunq; isti non attenduntur, illuc nec ministerium verum, nec legitimâ ad illud dari posse ingressum affirmant. Concil.
59. Tri-

Trident. capitul. 2. de Sacram. Ordinib. Can. 2. Joannes Beletus  
Theologus quondam Parisiensis in Explic. divin. operum cap. 13.  
Bellarm. lib. 1. de Cler. cap. 11. § 12. Licet autem Beletus d. lo-  
co notatos istos septem in ordine gradus propterea ita observandos  
esse scribat, ut septiformis gratia Spiritus Sancti, cujus munere il-  
lorum ordinum officia exequantur, tantò melius designetur: asta-  
men cum id fiat non tantum præter & contra intentionem Spiri-  
tus S. quippe qui nec mandatum nec exemplum ejus rei in Scrip-  
tura annotari voluit; sed & à genuina praxi primitivæ Ecclesia  
dis. dis. & a r. discrepent, idcirco neq; hæc cum illis facere possu-  
mus. Multò minus adhuc autem ex antè dictâ ordinis ratione  
peculiarem quandam potestatem, primatum aut jurisdictionem  
inter Ecclesia ministros, quam ex mente Pontificiorum Episcopus  
in presbyterû habeat, introducendâ esse censemus. Christus n. re-  
motissimè à discipulis suis, quamvis Apostolico Spiritu donâdis, do-  
minandi animo conceptum pruritus, quo alter altero superior es-  
se gestiebat, abesse jubet. Unde pariter hi, qui ministerium docen-  
di & administrandi Sacramenta obeunt, αὐτοὶ & cooperarii Dei,  
1. Cor. 3. 9. quandoq; etiam servi & ministri vocantur, 2. Tim. 2.  
24. ut meminerint, se non Dominos, multò minus conscientiarum  
dominatores aut καὶ τοὺς ἐβόητας τῶν κληρῶν esse, 1. Pet. 5. 3. sed  
constitutos esse ad docendum verbum & administranda Sacra-  
menta à DEO instituta, Matt. 28. 19. 1. Cor. 1. 17. & 9. 16. Atq;  
hinc inter alias rationes factum esse, quidam existimant, quod Apo-  
stoli & per seq. prædicatores Evangelij pedibus conferuntur,  
Esa. 52. 7. Rom. 10. 15. Non enim in curribus aut equis, sed pedi-  
tes prædicabant Evangelium diversis in locis. Quo ipso fastum  
& insolentiam Romanorum Pontificum & Episcoporum rejici &  
damnari est manifestum. Illi enim quamvis ore se servos ser vorû  
muncupent: in rei tamen veritate sunt, aut etiam volunt esse, Do-  
mini Dominantium. Sicuti alias in Decretis suis sub anathematis  
fulmine credendum præcipiunt: ubi est majoritas (quam sibi Papa

61.

62.

63.

64.

C. 111.

45. cum suis Cardinalibus & Episcopis arrogat) illic est precipienti potestas, reliquos manet obediendi necessitas. Id quod ad oculum demonstrari potest vel unico Alexandri III. Pontificis Romani exemplo, qui cum Friderici Barbarossa collum pede Venetijs conculcavit, recitans hoc dictum Psalmi 91. 13. Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem: Casare autem respondente, Non tibi, sed Petro: ibi rursus Pontifex denud conculcans collum Imperatoris dixit: Et mihi & Petro.

## QVÆSTIO VII.

### Quis sit fructus & efficacia Ministerij Ecclesiastici?

66. Fructum & efficaciam Ministerij Ecclesiastici exprimit Apostolus Paulus 2. Cor. 5. 19. & 20. ubi Doctores Ecclesie vocat legatos Dei, per quos Deus exhortatur, & in quibus posuit verbum reconciliationis. Agnoscit itaq; ministerium Ecclesiasticum esse salutare organon Spiritus S. per quod nos reconciliat, fidem & salutem in nobis operatur, unde & ipsi ministri dispensatores mysteriorum Dei vocantur 1. Cor 4. 1. Cum enim fides sit unicum medium, quo beneficia Dei apprehenduntur, teste Christo Joh. 3. 36 & Apostolo Rom. 3. 28. & verò fides non sit omnium 2. Thess. 3. 2. sed donum Spiritus S. 1. Cor. 12. 11. Col. 2. 12. utiq; non immediate hominibus infunditur, sed eodem organo & medio, quo datur Spiritus S. nim. per verbum & Sacramenta confertur, Rom. 10. 17. Act. 2. 38. Tit. 3. 5. Huc tendunt egregia illa similitudines, quibus imprimis verbum Evangelij Esa. 55. 10. Psal 68. 10. confertur semini  $\kappa\alpha\iota\ \rho\omega\sigma\phi\omicron\gamma\acute{\epsilon}\nu\eta\iota$  sive fructificanti Matt. 13. 8. 20. Luc. 8. 8. 11. 15.
67. Neq; est ut in exemplis conquirendis multum laboremus, cum quicumq; ad fidem Christianam conversi sunt, per verbum predicatum, auditum, lectum & meditatam (ordinariam rationem si spectes) conversos esse ex scriptura hinc inde demonstrari possit, præsertim ex Actis Apostolicis, ex quibus unicum duntaxat produci-
- mus

mas cap. 2. 41. 47. ubi per Petri concionem animarum circiter tria  
millia convertuntur, & postea Dominus augebat, qui salvi fierent  
quotidiè. Quæ verò hæcenus differuimus, non ita sunt accipien- 70.  
da, ac si medijs hisce à Deo ordinatis Magicam quandam vim ad-  
scribamus, quod ne per febrim quidem unquam somnia vimus: tan-  
tum mens nostra hæc est, DEum per hoc ministerium tanquam per  
hoc quæ suum esse efficacem: ita ut ipse sit & maneat causa in-  
u, ministri organa: Ipse sit causa, Ministerium vero organum,  
per quod DEus operatur. Adscribitur itaq; hac ratione hominibus 71.  
nihil quod Deo competit, neq; tamen Ministerium sua spoliatur  
efficacia, multò minus labor fidelium ministrorum irritus esse sta-  
tuitur in Domino, juxta illud 1. Cor. 3. 5. 9. sed causarum saltem  
accurata observatur & traditur discretio. Ex quibus omnibus 72.  
audacia stentorea sed vana Schwenckfeldij nemini non patere po-  
test, quod falsum esse, nec uspiam in S. literis reperiri clamavit,  
Deum uti corporeis Elementis & externis medijs ad operandã ho-  
minum salutem. Si enim Apostoli sunt Dei cooperarij, si Dominus  
cooperatus est Apostolis, si S. litera possunt audientem instruere  
ad salutem per fidem, si regeneratio fit per aquam & Spiritum &c.  
quid quæso hoc aliud est, quam quod Deo placuerit per hæc instru-  
menta in hominibus operari salutem? Causa verò tanti lapsus & 73.  
erroris hac videtur esse potissima, quod Schwenckfeldius ordina-  
tionem Dei non rectè perpendit, sed Deum à medijs (quæ Deus ipse  
sibi elegit, & per quæ, ut ut mundo stulta videntur, in nobis effi-  
caciter operari decrevit, 1. Cor. 1. 21.) turpissimè & audacissimè  
sejunct. Reijcimus quoq; & condemnamus Calvinianos omnem  
planè vim & efficaciam Ministerio Ecclesiastico, ac per conseq. ver- 74.  
bo prædicatò detrahentes. Calvin. lib. 4. Instit. c. 14. sect. 15. Epist.  
ejusdè 353. Beza part. 2. Respons. ad colloq. Mompelg. p. 115. 116. Ut 75.  
autem sententia illorum rectius intelligatur, sciendum est, con-  
troversiam totam esse de modo, quo in nobis regenerandis sive con-  
vertendis utitur Deus: sitne mediatas an immediatus? Et si me-  
diatus,

- diatus, quod nos affirmamus, an per instrumenta, sive ministros verbi & Sacramentorum, imò etiam ipsum verbum & Sacramenta verè & propriè producat effectus sive opus regenerationis, an tantum significativè & figurativè? Nos prius ex scriptura supra demonstravimus: Calviniani posterius propugnant; qui licet per prædicationem sive ex auditu verbi prædicati fidem esse in scripturis, & verbum, quod auribus nostris insonat, semen vitæ à Petro nuncupari concedant: tamen id tantum μετανομιῶν & phrasi Sacramentali fieri volunt, quæ ministerio externo effectus ministerij interni, cohonestandi ejus gratiâ, tribuatur, ut disertè loquitur Gryneus in Disput. Heidelberg. Siquidem verbo DEi lecto, prædicato & audito nulla vis divina insit efficiendi vitam in nobis spiritualem, sed tantum significandi res illas, de quibus dicitur, & declarandi, quod Spiritus Dei solus sua vi intus præstat, ut Beza scribit part. 2. Respons. ad Colloq. Mompelg. p. 115. & 117.

### QVÆSTIO IIX.

Utrum Ministerium verbi & Sacramentorum per malos administratum sit efficax, & num eo nobis uti sit concessum?

78. Ardua hæc est Quæstio, quæ olim, Constantino Magno Imperatore agitari cæpta, longo tempore Ecclesiam exercuit, primo autore Donato, à quo pestilentissima hæresis Donatianorum sive Donatistarum (cui D. Augustinus sese potissimum masculè opponebat) profeminata est.
79. Cum autem de malis ministris hoc loco sermo instituatur, præbè notanda veniunt malorum ministrorum descriptio & distinctio. Malos intelligimus hic non doctrinæ sed vitæ ratione, quorum nim. mores aut vitiosi, & quorum vitæ scelere aliquo aut flagitijs conspurcata est, doctrinæ interim falsitati, aut usus Sacramentorum depravationi nulli obnoxia: qualis erat Judas Ischariote, qui quamvis in hoc totus erat, ut & furtum committeret & Dominum suum proderet: tamen doctrinæ cælestis depositum & ipse sartum tectum

rectum custodiebat & alijs proponebat. Talium ministerio uti li- 81.  
 cere, eorumq; doctrinam secundum ὑποπόσιν τῶν ὑγιαίνουσων  
 λόγων dextrè traditam nihilominus ex Dei institutione efficacem  
 esse cum orthodoxa Ecclesia asserimus. Idq; vel exinde liquido sa- 82.  
 tis constat, quod Christus ipse Matt. 23. perditissimos hypocritas,  
 Phariseos & Scribas in cathedra Moysi sedentes ita audire jubet,  
 ut omnia, qua dixerint servanda, servantur, secundum verò opera  
 eorum nemo faciat. Quid? quod in V. Testamento saepenumè Pro- 83.  
 pheta quidè in hypocriticis mores docetiū invehatur Mich. 3. Ma-  
 lach. 2. & passim alibi: interim verò per ipsos verbi prædicati &  
 Sacramentorum dispensatorum efficaciam nusquam impugnant  
 aut negant. Ministerij enim verbi & Sacramentorum vis pro- 84.  
 pter Autorem est indubitata, ἡμεῖς μὲν ἡμεῖς καὶ τὰ χαλεῖσθε, καὶ  
 ἡ κληῖσις τῶ θεῶ, inquit Apostolus Rom. 11. 29. Id quod ab aliqui- 85.  
 bus epistolâ Principis per quemcunq; siue bonum siue malum sub-  
 ditis oblata, item sigillo siue aureo, siue argenteo, siue ferreo, cum  
 eandem figuram cera imprimas, qualecunq; etiam adhibueris, de- 86.  
 clarari solet. Quando autem ministerium etiam ab impurissimis  
 ministris juxta institutionem Domini usurpatum desinit esse salu-  
 rare, illud fit per accidens, tam respectu Auditorum, quàm respe- 87.  
 ctu Ministri. Auditorū respectu nō quidem ita, quasi tali mini-  
 sterio ad salutē erudiri nequeant, nam & reproborum ministrorū  
 ministeriū non caret sua efficacità (ut paulò antè demonstratum)  
 sed quia offendiculum eis ponitur, nec inoffenso pede verbum apud  
 plerosq; prædicatur, qui impuritate docentis in securitate sua con- 88.  
 firmantur, qua ratione ejusmodi pestes plusquam jurati hostes  
 fructificationi Evangelij incommodant. Respectu ministri non  
 est salutaris, quia auctoritati suæ & ministerij sui quam plurimum  
 detrahit, quin & ira Dei hoc pacto ipsi accrescit. Idèd vult D. Pau-  
 lus Episcopum esse ἀνεπίλητον 1. Tim. 3. 2. quin & τὸν fidelιῦ  
 in verbo, in conversatione, in fide, in caritate, in castitate, cæterisq;  
 virtutibus omnibus, 1. Tim. 4. 12. Nam secundum gravissimam 89.  
 illam juxta ac verissimam admonitionem B. Gregory, docendi au-  
 tori-

90. *toritas perditur, quando vox opere non adjuvatur. Vel ut cum D. Nazianzeno loquar: Qui benè docet & malè vivit, quod in nà manu adificat, alterà destruit. Unde negari non potest, neq̄ debet, plus proficere in Ecclesià eos semper, qui & doctrinà & moribus simul docent, adeoq̄ unice videndum esse, ut ejusmodi & eligantur & promoveantur; cum ob dictas rationes, tum etiam hac de causa, ne quis nobis dicam scribat, q. quorundam Ecclesià ministrorum vitam improbam & flagitiosissimam calculo nostro approbemus. Interim quod ante dictum fuit, iteramus: Qualitatem aut indignitatem Ministri (quoad ejus mores externos) efficaciam verbi & Sacramentorum nisi ουβελήτω, impedire non posse, secus atq̄ olim Donatista docebant, cum illa tantum à Deo dependeat 1. Cor. 3. 7. Aliud verò est iudicium de Malis ratione doctrinà, qui falsi Doctores appellantur, eò quod doctrinam cælestem & sinceram corrumpant & depravent. Horum ministerium cave pejus & angue fugiendum esse scriptura serio mones, Matt. 7. 15. Cavete à pseudoprophetis. Recedite, recedite ab illis, exite de medio illorum & separamini, Esa. 52. 11. 2. Cor. 6. 17. Item, si quis vobis aliud Evangelium, præter id, quod accepistis, evangelizaveris, anathema sit. Gal. 1. 8. 9. Vitium namq̄, horum non est in persona solum, sed in doctrinà etiam: per vitiosam autem & falsam doctrinam Deus neutiquam salutem æternam operatur.*

### QVÆSTIO IX.

Num Miracula, quæ jam fieri desierunt, aliquid detrahant dignitati & efficaciam ministerij Lutheranorum?

95. *Pontificij quidem Miracula in classẽ eorum, quæ ad ipsam ministerij Ecclesiastici constitutionem sunt necessaria, non referuntur ad ejus verò demonstrationem, cum primis extraordinariam vocationem, unice necessaria esse dicitant. Unde Bellarm. l. 1. de cler.*

*clur. c. 3. calumniatur scribens: Si Lutherus & Calvinus non  
 Apostoli fuissent, venissent omninò cum signis & miraculis Aposto-  
 lorum: sic enim veri Christi Apostoli legationem suam probave-  
 runt. Nos autem contra licet ad plantandam & nutriendam fi-  
 dem miracula in Ecclesia viguisse non negemus: veruntamen nec  
 simpliciter nec perpetuò ad ministerij Ecclesiastici demonstrationē  
 necessaria fuisse credimus & docemus. Moyses quidem, Elias, Eli-  
 seus, & ex Prophetis nonnulli alij, nec non Apostoli miraculis clari:  
 Abdias verò Nahum, Habacuc, & plures forsitan, quorum voca-  
 tio non minus extraordinaria & sacrosancta fuit, miracula desi-  
 gnasse non leguntur. Quin imò Johannes Baptista (major omni-  
 bus Prophetis) nullum unquam miraculum edidisse perhibetur,  
 Joh. 10. 41. Deus igitur ut liberissimum agens non ex equo omnes,  
 quotquot misit, sed quos placuit, edendorum miraculorum facul-  
 tate instruxit. Nullibi etiam Christus vel Apostoli affirmant do-  
 num miraculorum omnibus etatibus usq; ad mundi consummati-  
 onem in Ecclesia duraturum. Dicitur enim Christi Marc. 16. 17.  
 de signis subsequentiibus non indefinite ad quevis tempora exten-  
 dendum, sed ad lata Evangelij in universo mundo predicandi ex-  
 ordia, & primitiva Ecclesia statum saltem referendum est: siqui-  
 dem miracula, confirmata in mundo Evangelica doctrina verita-  
 te, paulatim desierunt. Quapropter Pontificij audiendi non sunt,  
 qui contemptim Lutheranis obvertere solent, nullis eos clarere  
 miraculis; in sua verò Ecclesiâ (Pontificiâ sc.) edi signa ac prodigi-  
 a. Valeant illi cum suis miraculis; signis ac prodigijs. Nam &  
 de Pseudopropheta Christi Matt. 24. 24. predicat surrecturos  
 Prophetas & duros signa magna & prodigia, ita ut in errorem  
 inducantur; si fieri posset, etiam electi. De Antichristo quoq; 2.  
 Thess. 2. 9. Apostolus vaticinatur: ejus adventum esse secundum  
 operationem Satana in omni virtute & signis & prodigijs men-  
 dacibus. Hinc ipsi tanquam munuscei infallibile attribuitur,  
 quod seducturus sit habitantes in terra propter signa, Apoc. 13. 13.*

96.

97.

98.

99.

100.

101.

102.

103.

104.

105.

C. 3.

Unde.



106. Unde Deus disertè prohibet ejusmodi Prophetam audire, Deut. 13.  
 1. qui aliam proferat doctrinam, & in ejus confirmationem  
 edat signa & miracula. Et si vel maximè illa signa eveniant: non  
 tamen illam doctrinam esse recipiendam. Neq; enim contra do-  
 107. ctrinam à Deo revelatam ulla miracula valere debent. Habeant  
 itaq; sibi sua *Ψυδοδávματα* Pontificij; Nobis ad pellendam incre-  
 dulitatem novis miraculis opus non est: quandoquidem ex ipso  
 Evangelij verbo jam ante clarissimis miraculis confirmato, cer-  
 tum remedium contra dubitationes cordis, per Dei gratiam, ha-  
 108. bere licet. Sufficit nobis vel hoc unicum miraculum omnium  
 maximum, quod doctrina nostra inter tot tantosq; Diaboli & munda-  
 di furores expugnari non tantum non potuerit, sed palma instar,  
 quò fortius pressa fuit, eò illustrius effloruerit, hodieq; efflorescat.

### QVÆSTIO X. & ultima.

#### An Conjugium Ministrorum Ecclesiæ

fit licitum? 2

109. De conjugio semper Ecclesia Orthodoxa docuerunt, quod om-  
 nibus hominibus, qui per aetatem & naturam idonei sunt, Con-  
 110. jugium contrahere liceat. Sed Romanenses contrarium mordicus  
 tenent & propugnant, hoc ipso *γνώσεσθε* illud Antichristi abundè  
 comprobantes, quod nempe matrimonium contrahere esset pro-  
 111. hibiturus, 1. Tim. 4.3. Illud autem Antichristi fuisse ausum, id est,  
 prohibuisse matrimonium contrahere ijs, qui in Ecclesiastico vita  
 112. genere versantur, notius est, quam ut ignorari possit. Autores  
 verò istius impietatis sunt Pontifices Romani, imprimis Siricius,  
 113. Gregorius VII. eorumq; successores ferè omnes. Illis subveniebant  
 studio quo poterant maximo Pontificij, Canonistæ & Scholastici:  
 præsertim autem, cum annis superioribus lex isthac in Germania  
 periclitaretur, Eccius, Cochlaus & alij, nunt quoq; passim mo-  
 derna meretricis Babylonica adulatores, Apostata Pistorius & Co-  
 sterus eandem impietatem fovent & defendunt. Præcipuè verò  
 illa-

illorum dux & choragus Bellarminus hoc thema; cælibatum jure  
 Apostolico rectissime annexū ordinibus sacris, labore magno sed  
 planè irritò, evincere conatur, lib. 1. de Cler. cap. 13. & seqq.  
 Quam legem de Sacerdotum cælibatu tanta contentione & studio  
 Jესiivitæ urgent, ut etiam anathematis fulmine Concil. Trident.  
 Sess. 8. can. 9. percutiat dicentem: Clericos in Sacris ordinibus  
 constitutos vel regulares castitatem solemniter professos posse ma-  
 trimonium contrahere, contractumq; validum esse, &c. Cum  
 DEUS id rectè patentibus non denegat, nec patiatur nos supra id,  
 quod possumus, tentari. Vide quoq; Clementis Romani Constitut.  
 Apostolicas lib. 6. c. 17. de Clericis. Huic Satânico figmento uni-  
 cum opponimus argumentum ita informatum: Si dogma illud  
 Pontificium cum verbo DEI manifestè pugnat, non modò non re-  
 cipiendum & exterminandum: At cum verbo DEI manifestè pu-  
 gnat. Quod tum testimonijs, tum exemplis irrefragabilibus ad o-  
 culum demonstrari potest. Testimonijs: Quia 1. DEUS sacerdo-  
 tes masculos, id est, ad conjugium & procreationem idoneos con-  
 dit, & quia generatim omnes hominum ordines ad conjugium &  
 liberorum procreationem legitimam vocat & ordinat, Gen. 1.  
 28. & 2. 18. 2. quia Paulus, qui uruntur, hoc est, qui se continere  
 non possunt (qua de re judicium ad cujusq; conscientiam pertinet)  
 ob vitanda supra præcipit conjugium, 1. Cor. 7. 2. 3. Quia Chri-  
 stus vult remedio divinitus dato, hoc est, conjugio uti omnes, nisi  
 quos natura vel ineptos ad conjugium procreavit, vel casus im-  
 potentes reddidit, vel gratia continentis fecit, Matt. 19. 12. 4.  
 Quia DEUS Sacerdotibus V. Testamenti expressè permittit conju-  
 gium Levit. 21. 13. Ezech. 44. 22. Et quia iterum Paulus Episco-  
 pis, presbyteris & Diaconis disertè concedit conjugium & libero-  
 rum procreationem, 1. Tim. 3. 2. & 4. Tit. 1. 6. Exemplis: quia  
 1. Sacerdotes ab initio mundi usq; ad Christum conjuges fuerunt,  
 ut Adam, Seth, Enoch, Noë, Sem; ac postea Sacerdotes Levitici,  
 Aaron, Eli, Zacharias. 2. Quia Prophetæ conjuges fuerunt. Esa.

114.

115.

116.

117.

118.

119.

120.

121.

2. 3.

122. 8. 3. Ezech. 24. 16. & 18. 3. quia deniq; Apostoli & Evangelistæ  
 in conjugio vixerunt Matt. 8. 14. Act. 21. 8. & 9. Plura exempla  
 123. occurrunt apud Eusebium & alios. Cum itaq; tum scriptura te-  
 stimonia quam exempla V. & N. Testamenti sacerdotibus Conju-  
 gium concedant, dogma illud Pontificium ex agro Ecclesie rejici-  
 124. endum & exterminandum esse concludimus. Brevitatis studio  
 praterimus argumenta alia quam plurima, puta, Dogma illud x̄p̄  
 diáputegv cum ratione recta pugnare, laqueos periculosissimos con-  
 scientiis injicere, multis sceleribus bipatentes fenestras aperire,  
 suam originem à Nicolaitis, Tacianis seu Encratis, Marcioni-  
 tis, hæreticis pessimis, traxisse.

125. Hec verò & similia cum apud alios latius diducta reperire  
 liceat, Nos hic solum abrupimus, totamq; hanc διάκρισις gravis-  
 simâ D. Augustini sententia concludimus, qui sic in Epist. 148. ad  
 Valer. Episcop. scribit: Nihil in hac vita & maximè hoc tempore  
 facilius, latius & hominibus acceptabilius est Episcopi, aut pres-  
 byteri aut Diaconi officio, si perfunctoriè atq; adulatoriè res aga-  
 tur: sed nihil apud DEum miserius & tristius & damnabilius.  
 Item, nihil est in hac vita & maximè hoc tempore difficilius, la-  
 boriosius, periculosius Episcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi  
 officio, sed apud DEum nihil beatius, si eo modo mili-  
 tetur, quo noster Imperator jubet.


Τῶ Θεῷ δοξα.







illorum dux & choragus Bellarminus hoc thema,  
Apostolico rectissime annexū ordinibus sacris, la-  
planè irritò, evincere conatur, lib. 1. de Cler.  
Quam legem de Sacerdotum celibatu tanta com-  
Fessivitate urgent, ut etiam anathematis fulmine  
Sess. 8. can. 9. percutiat dicentem: Clericos in-  
constitutos vel regulares castitatem solemniter p-  
rimonium contrahere, contractumq; validum  
DEUS id rectè p-tentibus non deneget, nec patia-  
quod possumus, tentari. Vide quoq; Clementis R-  
Apostolicas lib. 6. c. 17. de Clericis. Huic Satan-  
cum opponimus argumentum ita informatum  
Pontificium cum verbo DEI manifestè pugnat, n-  
cipiendum & exterminandum: At cum verbo D-  
gnat. Quod tum testimonijs, tum exemplis irre-  
culum demonstrari potest. Testimonijs: Quia  
tes masculos, id est, ad conjugium & procreationem  
dit, & quia generatim omnes hominum ordines  
liberorum procreationem legitimam vocat &  
28. & 2. 18. 2. quia Paulus, qui uruntur, hoc es-  
non possunt (qua de re iudicium ad cuiusq; consci-  
ob vitanda supra precipit conjugium, 1. Cor. 7.  
stius vult remedio divinitus dato, hoc est, conjug-  
quos natura vel ineptos ad conjugium procrea-  
potentes reddidit, vel gratia continentis fecit,  
Quia DEUS Sacerdotibus V. Testamenti expresse  
gium Levit. 21. 13. Ezech. 44. 22. Et quia iterum  
pis, presbyteris & Diaconis disertè concedit con-  
rum procreationem, 1. Tim. 3. 2. & 4. Tit. 1. 6.  
1. Sacerdotes ab initio mundi usq; ad Christum  
ut Adam, Seth, Enoch, Noë, Sem, ac postea Sacer-  
Aaron, Eli, Zacharias. 2. Quia Propheeta conju-



the scale towards document

ire  
sed  
gg.  
dio  
nt.  
us  
na-  
n-  
id,  
ut.  
ni-  
lud  
re-  
ou-  
lo-  
do-  
on-  
&  
1.  
ere  
et)  
ri-  
nisi  
m-  
4.  
ju-  
co-  
ro-  
via  
nt,  
ici,  
sa.  
3.

114.  
115.  
116.  
117.  
118.  
119.  
120.  
121.